DE MORBORUM NONNULLORUM MEDULLAE SPINALIS COGNITIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE VII. M. JUNII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FRANCISCUS FALGER

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. WILCKINGHOFF, MED. ET CHIR. DR.
F. NICOLAY, MED. ET CHIR. CAND.
PH. SAUER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

OPTIMO, DILECTISSIMO, SUMMOPERE
SIBI COLENDO

BOECKMANN,

VERBI DIVINI MINISTRO, PASTORI IN PAGO BORK

NEC NON

CONSANGUINEIS
CARISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. DE IRRITATIONE MEDULLAE SPINALIS.

Irritationi medullae spinalis novissimis temporibus Angli praesertim et, quod attinet rem hic pertractandam, omnium longe princeps, Abercrombie, multum operae ac studii impenderunt. Abercrombie, Burns, Monteiht multas tradidere observationes, quae ad hunc medullae spinalis morbum sunt referendae.

Cuique medicorum notum est, laesionibus mechanicis medullam irritari, oppletione ventriculi aut vermibus varia spasmorum genera infantibus excitari. Ita affectione lienis, hepatis, cordis, pulmonum, uteri, irritatio medullae exoritur, id, quod multae auctorum observationes demonstravere. — Primum et fere unicum medul-

lae irritatae symptoma est spasmus, cujus vehementia pendet ab irritamento ipso; accrescunt igitur spasmi, si augetur irritatio, decrescunt atque omnino evanescunt, si medulla liberatur irritamento. At vero, si medullae vis spasmis vehementibus quasi debilitata est, remissio symptomatum apparet; collectis vero viribus eo majore cum atrocitate convulsiones reverti, satis constat. Quomodo explicari potest, quod Monteiht commemorat, spasmos subito aegrotum, in quo paulo ante remissio adfuisset symptomatum, aggressos esse minima quaque laesione organi, quod irritationem effecerit. Multa ejusmodi exempla, si vellem, afferre possem, sed sufficiant, quae dixi.

Ad confirmandam ergo diagnosin, functionem organi, quod medullam spinalem excitare posset, esse turbatam, atque symptoma irritationis, spasmum, qui pendet ab hoc irritamento, adesse necesse est. Restat, ut adnotem, ipsius medullae spinalis inflammationem aut degenerationem alterius partis irritationem proferre posse.

II. DE IRRITABILITATE ADAUCTA.

Ad hanc medullae conditionem praecipue varia spasmorum genera, nisi inflammatione aut vitiis or-

ganicis provocentur, sunt referenda; convulsiones enim, tetanus, epilepsia, chorea St. Viti *) ex irritabilitate adaucta saepissime originem ducunt. Quod quidem varii scriptores testantur, nec in medulla spinali, neque in alio organo, defunctorum sectione instituta, quidquam esse inventum, quod aliam ac irritabilitatem medullae adauctam, affectionem agnosci jusserit.

Medullae functio in hoc morbo est turbata, normalia irritamenta modo excipiuntur anomalo, actiones sunt vehementissimae, facultas notiones externas informandi adaucta. Aegrotus si digitis tangitur, si motum facere conatur, ut brevibus dicam, si ullo modo irritatur, convulsionibus magnisque doloribus cruciatur. Dolorum sedes saepenumero est in medulla ipsa, sed interdum, quod jam Thiele asseruit, ex membris exorti dolores decursum nervorum ad medullam sequi solent. Spasmi, qui irritabilitate producuntur, aut clonici aut tonici sunt, quorum alteri saepius in infantibus et feminis imbecillioribus, alteri in corporibus

---

*) Abercrombie, Untersuch. über die Krankheiten des Gehirn- u. Rückenmarks, übers. v. G. vom Busch. Bremen 1829. Obs. CXXXV.

robustis, in viris, qui involuntariis motibus magis resistere valent, observantur.

In omnibus fere corporis partibus, medulla aegrotante, contractiones occurrunt, imo faciei et capitis musculorum; nec semper totum membrum ut extremitates inferiores, verum etiam singulares membrorum partes motus spastici aggredi possunt, cujus rei causam ex propria medullae conditione repetere non licet. Accidit plerumque, ut spasmus, posteaquam irritabilitas summum gradum obtinuit, sensim sensimque diminuatur, si irritabilitas spasmo quasi consumta et exhausta est, quare spasmum sequitur debilitas magna, imo interdum paralysis. Quomodo fit, quod inter omnes auctores constat, ut affectione intestini recti et vesicae urinariae modo retentio, modo incontinentia urinae vel alvi inducatur. Quod de motu turbato, idem in universum de sensibilitate adnotandum est; sicuti convulsiones, ita etiam sensibilitatem paralysis sequitur. Interdum vero aliter res se habet, nonnunquam enim sensibilitatem adauctam sine ulla motus perturbatione observavere scriptores.

Forsan irritabilitati sine perturbatione motus adnumerandus est dolor catamenialis, qui immi-

nentibus mensibus percipitur et interdum cum languore extremitatum, nunquam cum paralysi conjunctus est. Inflammationem non adesse, quamvis detractio sanguinis dolores diminuere solet, jam ex eo patet, quod nunquam inflammationis sequelae oriri solent, etiamsi nullum adhibeatur medicamentum. Ollivier *) putat, causam dolorum esse congestionem, sed eodem jure irritabilitatem, qua affluxus sanguis ad medullam excitatur, accusare licet.

In scriptis Guerini **) inveni casum, qui symptomata irritabilitatis adauctae, quae enarravi, comprobare videtur. Vir juvenis sedecim annos natus, palpitationibus cordis et dyspnoea laboravit, post sex menses acerbissimis doloribus abdominis cruciatus, convulsionibus brachiorum corripiebatur. Haec symptomata incertis intervallis rediere, ita ut aegrotus alio tempore omnino sanum se sentiret. Paroxysmi eum reddebant morosum et praestandis mentis laboribus imparem. Aegrotus, qui nec lucem nec

---

*) Ollivier, Traité de la moelle épinière et de ses maladies. 2. Edit.

**) Guerin de irritations encéphaliques et racchidiennes.

strepitum perferre potuit et vehementissimis convulsionibus, si ejusmodi admittebantur irritamenta, vexabatur, per quatuor annorum spatium morbo laborans, tandem in integrum restitutus est. Guerin quoque medicaminum adhibitorum mentionem facit atque acidum borussicum, aquam laurocerasi, purgantia, sanguinis detractiones laudat. Mouteiht contra ex medicamentis adhibitis nil utilitatis profectum esse, recte monet, quod omnia medicamina irritamenta essent medullae. In aegroto, de quo dixi, cerebrum quoque morbi particeps fuisse, in dubium vocari nequit, nemo tamen, medullam quoque affectam esse, diffitebitur.

In altero exemplo, quod in scriptis Abercrombie *) legi enarratum, aegrota, tenerrima constitutione, hysteria laborans, digitos pedum et pedes ipsos rigidiores et motu impeditos animadvertit, ita ut in lectulo detineretur. Sensim contractiones exstitere, quibus genua ad abdomen spasmo adducebantur. Haec fuit con ditio vigilantis aegrotae, solvebantur autem spasmis contracta membra, dum dormiebat, et in le-

*) Abercrombie l. c. p. 558.

cto extendebantur crura in situm naturalem. Magna cum vi crura, si mane e somno expergiscebatur, ad ventrem adducebantur, id, quod etiam, si vi membra extensa erant, fieri solebat. Interdum contractiones accesserunt musculorum dorsi atque brachiorum, contractionis vis in lucidis intervallis non fuit diminuta. Examine instituto, num adesset medullae affectio, nil reperiebatur, quod indicaret inflammationem et destructionem, quamvis aegrota de doloribus regionis dorsalis magnopere querebatur. Post sex menses aegrota perfectam valetudinem accepit.

III. DE IRRITABILITATE DIMINUTA.

Partes quae irritamentis non respondeant, laborant irritabilitate diminuta. Medulla igitur hoc morbo privatur facultate externas res percipiendi et organa movendi. Quaeritur autem, num musculi, in quibus vis medullae est exstincta, ad hunc sint irritabiles et possunt contrahi. Experimentis tamen Herm. Nasse comprobavit, quamvis Stuecker omnem vim musculorum a nervis pendere, contendit, per aliquod tempus musculos vim sese contrahendi reservare, exhausta vi medullae. Hocce quidem modo convulsiones,

quae interdum in paralysi occurrunt, non sunt explicandae faterique debemus, hujus rei claram definitionem edi non posse. Convulsiones in paralysi haud raro existere, comprobavit Abercrombie et inter multas observationes commemorat, virum, qui primum paresi tum paralysi extremitatum laboravit, convulsionibus velut ictu electrico vexatum esse. Diem supremum quum aegrotus phthisi obiisset, sectione instituta in cerebro ac medulla spinali nil abnorme est inventum. Prostant quoque exempla, in quibus paralysis cum facultate percipiendi non consentit eademque demonstrare videntur, ad provocandum paralysin non tantum morbi gradum, quantum ad opprimendum sensum requiri. Morris*) evulgavit talem observationem ab Ill. Nasse factam et ego provoco ad fratrem meum ex biennio paraplegia affectum, qui nunc in altero crure vim movendi et percipiendi, in altero facultatem externam informandi nactus est.

Paralysis aut est incompleta aut completa, quod pendet a gradu morbi, ita ut irritabilitate, quae plerumque sensim sensimque invadit me-

---

*) Morris diss. exhib. casum singular. medull. spinal. Bonnae 1827.

dullam, primum paralysis oriatur incompleta, morbo autem ingravescente evehatur ad completam.

Haec symptomata, quae enumeravi, talia non sunt, ut, si videas aegrotum, diagnosin stabilire possis, praesertim, quod in aliis morbis eadem symptomata, paralysis et spasmi, observantur. Adnotandum ad statuendam diagnosin est, omnia symptomata, quae exempli gratia in inflammatione, mollitie, induratione aliisque vitiis organicis existere solent, irritabilitatem diminutam non comitari; morbum sensim sensimque crescere, et exortam esse in corpore laborante torpore leviori occasione vel suppressis secretionibus vel efflorescentiis retrogressis irritabilitatem diminutam.

Quod attinet ad partem corporis affectam, portio cervicalis superior afficit totum corpus, capite excepto; pars inferior cervicalis truncum et artus, ita ut collum tantum integrum sit, pars dorsalis organa abdominalia et thoracem usque ad ramificationes nervorum, qui oriuntur e parte medulla supra locum affectum sita, pars lumbalis extremitates inferiores et partem respondentem abdominis. Ita res se habet, facultate sentiendi diminuta, paralysis vero alias quoque partes afficit, quae accipiunt nervos a portione me-

dullae infra partem aegrotam sita. Interdum, si pars cervicalis peccat, organa abdominalia completa paralysi afficiuntur, thoracica autem incompleta. Gradatim membra singula affici queunt, quod plerumque irritabilitate diminuta fit et paralysis antecedere solet sensus defectum. Andral*) filius talem observavit casum: primum digitus minimus manus sinistrae, deinde manus tota, postea brachium sinistrum afficiebatur sensibilitate diminuta et paralysis; paulo post idem decursus in brachio dextro et denique in extremitatibus inferioribus, ita ut tandem paralysis omnium extremitatum consequeretur. Saepenumero accidit, ut primum sensus, tum motus partium singularum turbetur.

Vi medulla diminuta etiam resistendi irritamentis externis facultatem organa amittunt, quo fit, ut aegrotis laborantibus irritabilitate diminuta, partes, quae pressioni externae expositae sunt, facilius fiant gangraenosae.

IV. DE COMPRESSIONE.

Jam statu normali cerebrum et medulla continentur halitu seroso, qui secernitur a membrana

---

*) Ollivier l. c. obs. CXIII.

rosa intima, quae involvit et circumdat cerebrum et medullam spinalem. Symptomata compressionis ut producantur, adaugeri causas prementes et subito accumulari necesse est, ne medulla sensim pressioni adsuescat. Certum enim compressionis medulla aeque ac cerebrum ferre potest gradum, quo exorbitante functio medullae turbatur. Portal quidem opinatur, minori compressionis gradu convulsiones, majori paralysin provocari et in convulsiones transitum oriri accumulatione verum prementium. Nonnullis quamquam in casibus res ita se habet, irritationis tamen signa desunt, quod comprobavere observationes, si levior est compressio et existunt convulsiones cum paralysi.

Symptomata fere congruunt cum illis, quae proficiscuntur ex irritabilitate diminuta, sed variant magnopere ex causis prementibus. Primum enim symptoma paralysis sensus et motus in illis partibus nobis occurrit, quae respondent portioni medullae affectae; tum macies membrorum paralyticorum, decubitus, plerumque mortis causa. Jam sermonem faciam de causis, quae medullam comprimunt; varia ergo liceat genera causarum

enarrare earumque diagnosin, quantum fieri potest, eruere.

Primum existunt vertebrarum laesiones degenerationesque, quae afficiunt medullam, ut dislocationes, fracturae, tumores ossium. Luxatio processus odontoidei, quam observavit amicus medicus et mecum communicavit, loquelae defectum atque paralysin totius corporis effecit. Medico arcessito, quum ex causa occasionali ceterisque symptomatibus satis diagnosin confirmatam crederet, ut extensione corporis in breve temporis spatium processum coaptaret, contigit. Loquela quidem rediit, mox autem aegrota diem obiit supremum. — Praeterea ex chirurgia jam satis nota sunt symptomata, quae tales comitantur morbos, ossiumque tumores oporteat suspicari, si aegrotus scrophulosi aut syphilide aut arthritide laborat.

Degeneratae membranae, quae medullam spinalem ambeunt, signa compressionis in lucem proferunt; causa vero compressionis vel in arachnoidea, vel in pia, vel dura matre vel in tela cellulosa inter hasce membranas sedem habet. Tubercula, hydatides, sarcoma medullare, fungus aliaeque desorganisationes, quarum diagnosis

nondum eo dilucidata est, ut inter morbos medullae ejusque membranarum certe discerni possit. Referunt scriptores varias observationes, quae ad expediendam degenerationum diagnosin multum conferre videntur. Ita Reydellet hydatides e tumore externo, cum canali medullae communicanti, prodeuntes vidit, attamen, quamvis aperuerat tumorem, aegrotum paraplegia laborantem non reddidit sanum. — Accedenti peculiari dyscrasia prodeunt frequentissime tumores sarcomatosi, qui a viris cel. Knox, Philipps, Truestedt*) descripti sunt.

E pluribus unum tantum exemplum enumerabo. Vir, integerrimis moribus, qui ex refrigerio in languorem et paralysin incompletam extremitatum inferiorum sese incidisse affirmabat, ita ut tantum fulcris innixus ambulare possit, regionis dorsalis magnis doloribus cruciatus adiit nosocomium. Dolor, non perpetuus, augebatur experimento adhibito Copelandii; non multo post retentio alvi, dysuria, paraplegia, oedema extremitatum inferiorum, decubitus arcessere; diem obiit supremum. Sectione instituta inter

*) Medizinische Zeitung. 2ter Jahrg. pag. 57.

quintam et sextam vertebram dorsalem in dura matre sarcoma medullare magnitudine ovi, inferior pars medullae mollis et atrophica inveniebatur.

Inter causas prementes numerandae sunt, quae ab exsudatione aut ruptura vasorum originem ducunt, serum, sanguis et aër.

Hydropem arguimus, quem praecipue meningitidis sequelam observamus, si irritatio vertitur in stuporem, si dolor ex acuto evadit obtusus, si spasmus commutatur in paralysin, primum incompletam, tum, crescente infusione, completam, si primum inferiores, tum superiores corporis partes afficiuntur. Morgagni *) talem casum nobis tradidit de viro, qui, exsiccatis ulceribus, subito aphonia correptus brevi tempore mortuus est. In casu Boneti **) secuta est paralysis organorum abdominalium illam superiorum; fluido seroso inter duram matrem et piam invento; idem Meyrieu ***) refert.

In apoplexia vero non sensim sensus et mo-

*) Morgagni de sedibus et causis morborum.
**) Abercrombie l. c. p. 503.
***) Bullet. de la societ. méd. du depart de l'Eur. Oct. 1821.

tus turbantur, posteaquam aegrotus dolorem percepit in regione columnae vertebralis, sed Monod et Yvarin*), Rouchoux**), Cruveilhier***) nobis tradidere exempla, in quibus decursus morbi rapidissimus fuit. Interdum autem coagulat sanguis effusus, id quod inveni in historia Cruveilhieri †), resorbentur ejus lympha et pigmentum, remanent solidae membranae in velamentis. In nonnullis casibus pneumatorrhachia observata est, recte autem Otto ††), qui saepius aëris collectionem invenit, de eschalatione aëris inter vitam dubitat.

Dr. Diesterweg †††) in egregia dissertatione observationem publici juris fecit, qua idem, quod in cerebro apoplexia intra vasa (coup de sang) nominatur, in medulla adfuit. Membrorum motus et sensus subito evanuerant, vox deficiebat, membra erant contracta. Sanguinis unciis triginta missis, vox rediit, et, quae eve-

*) Bernard, ainé, compte rendu des travaux de la sociét. anat. p. 12.

**) Archiv. gén. de méd. Oct. 1831. p. 231.

***) Ibid. 1829. p. 429.

†) Anat. patholog. livrais. XV.

††) Otto, Lehrb. d. pathol. Anat.

†††) De cognitione morborum medullae spinalis. Bonnae 1836.

nerant, aegrotus enarravit; se loqui voluisse sed non potuisse dixit, in membris quidem dolores trahentes, sed facultatem externa percipiendi abolitam esse.

Tertium rerum prementium genus sunt tumores et degenerationes medullae, quarum variae species ab auctoribus nominantur; Meckel quatuor ejusmodi tumorum, Abernethy sex, Abercrombie quatuor classes constituit. Symptomata, quae scire nostrum interest, variant secundum ortum degenerationum, utrum ex inflammatione, an ex causa ignota, ex dyscrasia peculiari originem duxerint. Primum si fingamus casum, irritationis, altero in casu compressionis signa videmus. Constat inter omnes auctores, inprimis tubercula et scirrhum, quae quidem saepe stipantur inflammatione, nasci ex dyscrasia. Scirrhum in portionibus medullae observavit Hutin *), nec ulla, nisi sensus defectum et febrem intermittentem, cujus insultus semper noctu aegrotum invaserunt, signa invenit. Rostan **) putat, cognosci posse scirrhum doloribus lancinantibus, per intervalla redeuntibus, colore faciei stramineo, scirrho aliarum partium, aetate aegroti. Nam ad tubercula homines ju-

*) Hutin, récherches et observations pour servir à l'histoire anat. etc. Observ. VIII. (Nouv. bibl. médic. 1828. tom. I.)

**) Clinique médic. p. 204 seq.

venes magis et tubercula suspicamur, si paralysis convulsionibus interrupta simul cum tuberculis aliorum organorum, praecipue pulmonum existit. Epilepsiam, quae non stipabatur vertigine, ex tuberculis profectam esse, tradidit Gendrin *); Andral **) in ultimis tantum phthiseos stadiis signa tuberculorum medullae apparere vidit. Wittfeld***), Velpeau †), Bricheteau ††), Abercrombie, Ollivier, Serres †††) de medullae tuberculis referunt. Ex signis vero, quae ad medullam spectant, nil conspicere licet, quia quaque compressione eadem signa possunt provocari. — Velpeau *] praeterea commemorat degenerationem sarcomatosam, Chaussier**], Reydellet***) hydatides, quos Fischer†] in animalibus invenit. — Hypertrophia num symptomata tantum compressionis proferat, ad nostrum usque tempus in suspenso est, quod morbi observationes rarissimae exstant.

*) Récherches sur les tubercules du cerveau etc. Paris 1833.

**) Dictionn. médic. p. 427.

***) Archiv v. Horn, Nasse, Wagner. 27. p. 489.

†) Journ. de phys. par Magendie. T. VI. p. 138.

††) Bricheteau, clinique médicale de l'hôpital Necker. Paris 1835. p. 81.

†††) Anat. comparat. de cerveau. p. 234.

*] Archiv général de méd. Janvier 1825.

**] Journal de méd. continent. Vol. XV. p. 231.

***) Dict. de scienc. méd. XXXIII. p. 564.

†] Miscell. acad. nat. curios. obs. 53. Dec. 3. An. 2.

Magnopere quidem laudandum est, quod medici nostri studio pathologiae anatomicae penitiorem degenerationum structuram investigarunt, sed multum abest, ut variarum destructionum medullae spinalis certam eruere possimus diagnosin, quippe quam non nisi observationibus multis certam reddere liceat.

V. DE INFLAMMATIONE MEDULLAE SPINALIS EJUSQUE MEMBRANARUM.

Negari non potest, inter medullae spinalis ejusque membranarum singularum omni in casu statui non posse certam diagnosin. Ollivier, qui multum ad perfectiorem morborum medullae cognitionem adtulit, quamvis certa signa invenisse putat, nihilominus diagnosin affectionum medullae non satis distingere potuit. Quod mirari non possumus, quum plerisque in casibus inflammatio membranarum singularum et inter se et cum myelitide ipsa est conjuncta. Exstant quidem, quamvis rarae observationes, quae demonstravere, sectione instituta singulas adeo membranas corripi inflammatione. Ita Albers*) mentionem fecit perimeningitidis, duasque enar-

*) Journ. f. Chirurg. u. Augenheilk. von v. Gräfe und v. Walther. tom. XIX. St. 3. p. 347.

rat historias aegrotorum, quibus mortuis dura mater tantum reperta est inflammata. Symptomata refert haecce: vehementes in toto abdomine et sensus, quasi sit vinculum circa abdomen positum, tremor artuum et convulsiones, molestia in deponenda alvo. Suspicandum est, haec signa non ex sola dura matre inflammata prodire, et medullam ipsam una laborare irritabilitate turbata, qua symptomata medullam ipsam spectantia producuntur. Sin licet, ex inflammatione durae matris cerebri in eam medullae spinalis concludere, unum tantum signum perimeningitidis, dolorem fixum partis affectae, statuere possumus, nec ad stabiliendam diagnosin dolorem sufficere, quis est, qui dubitet?

Aggrediamur jam meningitidem, cujus sedes est in tunica arachnoidea, in tunica cellulosa et pia matre. In hoc morbo, qui certiora jam offert signa, sicuti in quaque phlogosi tunicarum serosarum, de dolore vehementissimo aegroti queruntur. Dolores urentes, fere non tollendi in regione columnae vertebralis, qui quovis motu et experimento Copelandii augentur, ita ut aegroti locum mutare timescant. Dolores tamen non semper sunt fixi, sed descendunt ad membra, ita, ut sensibilitas artuum tantopere augeatur, ut ne minimum quidem tactum perferre possint aegroti; tactu vero regionis vertebralis do-

lores non aggravari, affirmat Ollivier *). Si cerebri arachnoidea simul affectione corripitur ac perturbatio animi et deliria exsistunt, dolores plerumque cessant. Secundum variam inflammationis sedem, primum motus spastici, tum convulsiones afficiunt membra, quae parti affectae respondent. Sic apud myelitidem cervicalem animadvertuntur: dysphagia, dyslalia, pharyngis constrictiones, vomitus, hydrophobia, convulsiones extremitatum superiorum; apud thoracem: dyspnoea, dolores pectoris, nervi vagi cursum persequentes **), anxietas, cordis palpitationes, pulsus et cordis ictus interdum intermittens; apud lumbalem, alvi et urinae vel incontinentia vel obstructio, meteorismus, priapismus extremitatum inferiorum spasmi.

Ad ea, quae supra dixi, symptomata haec transitoria sunt adnumeranda: rigor cervicalium et dorsalium musculorum, eorumque contracturae, quae a partibus corporis superioribus ad inferiores sese extendunt; tremor artuum. In provectiore morbi stadio, multi auctores contendunt, tetano aegrotos semper corripi, qua de causa

*) l. c. tom. II. pag. 597.

**) Die neuesten Erfahrungen und Ansichten über Lokalkrankheiten u. Wiedererzeugung der Nerven etc. in Prof. J. B. Friedrich Schmidt's Jahrbücher der in- u. ausländ. Med. 1835. B. V. Seite 59.

G. Bergamaschi *) et Funk **) tetanum et meningitidem eosdem esse morbos, alii vero tetani traumatici causam meningitidem crediderunt. Hanc opinionem omnino refutandam esse, argumentis ex physiologia nec non cadaverum sectionibus Swan ***) et Sachs †), Parent-Duchatelet et Martinet ††) demonstravere. Jam inter omnes constat, non sola meningitide sed multis aliis morbis provocari tetanum praecipue affectione cerebri, tum sectiones hominum tetano mortuorum saepissime nil adesse, quod ad inflammationem tunicarum medullae spinalis spectet, nos docuere.

Accedunt insuper signis, quae hucusque enarravi, febris inflammatoria interdum cum remissione conjuncta, ut C. Bell tradidit, urina rubra, pulsus frequens, magnus.

Inflammationem tunicarum in infantibus a Goelis †††) observatam jam describere liceat.

---

*) Sulla mielitide sthenica et delle malatti midolla spinale. Milano 1816. p. 348.

**) Die Rückenmarksentzündung. Bamberg 1832.

***) J. Swan. Dissertation of the treatment of morbid local affections of nerves. London 1820.

†) Grundlinien zu einem natürlich dynamischen System der praktischen Medizin. Berlin 1821.

††) Recherches sur l'inflammation de l'arachnoide cérébrale et spinale par etc. Paris 1821. 8. observ. 131, 138, 139.

†††) Salzburger medizinisch-chirurgische Zeit. für 1815. Bd. IV. S. 126.

Phlogosi semper stipata est febri vehementi et convulsionibus corporis totius, quibus accedit musculorum dorsalium et lumbalium tetanus. Superior pars brachii plerumque est ad corpus adtracta atque antibrachium sursum deorsumque movetur, ita ut mox mentum mox crura tangantur. Infantis vultus vehementis doloris sensum prae se fert; oculi circumvagantes, facies rubra; lingua est obtecta muco albido, ciborum appetitus nullus, sitis permagna, vomitus frequentes, sudor copiosus, urina parca. Notatu digna est sensibilitas tubi intestinalis adaucta, ita ut infantes minima calomelanos dosi sumpta fusam alvum deponant. Tempore morbi profectiore saepe, sicut in adultis, cerebri affectio, observatur, qua deliria et amaurosis provocatur. — Sectione cadaverum instituta, medullae spinalis ac plerumque cerebri membranae rubrae et seri aliquid cruenti effusi reperiuntur.

Duchatelet et Martinet enarrant quidem multae observationes, sed, quod magni momenti est, fere nusquam meningitidem meram sectione facta, sed semper sequelas inflammationis et affectiones cerebri se invenisse referunt. Idem nobis tradidit C. Bell *), qui inflammationes tunicarum provocatas vi mechanica observavit.

*) Abercrombie l. c. pag. 470.

Medullae spinalis ipsius inflammationem varii scriptores, ac praecipue Olivier*) descripsit, cujus auctoritate nisi multi auctores eadem signa protulerunt. Myelitidis signa nominantur sensus, quasi sint partes obdormiscentes **), et rigiditas cum impedito membrorum motu; huc accedit gravitatis frigorisque sensus, interdum partiales universalesque convulsiones, sine formicatione, tum paralysis partium, quae morbi sedi respondent; simul queritur aegrotus de profundo sed vehementi in medulla spinali dolore, qui motu augetur et per totam columnam vertebralem propagatur. Quae symptomata si in quaque myelitide adessent, bene cognosci posse morbum, quis dubitat, sed sectionibus cadaverum factis satis patet, ex inflammationis exitu, induratione et mollitie symptomata partim originem ducere.

Dolores primum in mera myelitide desunt; Andral ***), qui raro adesse dolorem contendit, et Olivier †) quoque, interdum aegrotum nullo vexari dolore et sensibilitatem fuisse diminutam ac complicatione tantum meningitidis dolores provocari, testantur. Si ponamus casum meningitidem serius exoriri, ac inflammationem medullae,

---

*) l. c. Tom. II, p. 700.
**) Olivier l. c. Obs. LXXVI et XXI.
*** Cours de pathologie etc. p. 46.
†) l. c. t. II. p. 702.

sensibilitatem omnino videmus ablitam nec persentiuntur dolores, quod medullae functio jam est turbata. Portal *) ejusmodi fecit observationem et Lieutaud**) commemorat laesione medullae ipsius mechanice febrem vehementem et paraplegiam ortam esse. Andralo igitur, qui sectionibus rem confirmavit, maxime esse habendam fidem puto, quod, sicut cerebri inflammatione, ita myelitide, functione organi laesa, medullam facultate sentiendi et movendi privari, per se jam concludi potest. Rigiditas membrorum, sensus narcoseos, paralysis ergo incompleta tum completa cum doloribus non conjuncta praecipue signa myelitidis sunt habenda, ut in meningitide convulsiones cum doloribus fixis. Adsunt praeterea in medullae inflammatione febris inflammatoria haud vehemens, pulsus mollis, cutis sicca. Mors imminet, si incontinentia alvi et urinae, quae ante retinebantur, apparet, si deliria, coma exsistunt et magna respirationis difficultas observatur.

---

*) Cours d'anat. médical. T. IV. p. 116 sq.
**) Abercrombie l. c. p. 476.

V I T A.

Ego **Franciscus Falger**, Monasterii anno hujus saeculi decimo quarto, die III. mensis Maji natus et catholicae fidei addictus sum. Patrem optimum, **Franciscum Antonium Falger**, jam dudum morte mihi ereptum lugeo, matrem vero **Claram** e gente **Melchers** adhuc vivam pia mente veneror.

Primis literarum elementis domi imbutus adii gymnasium Monasteriense, quod directore Cel. **Nadermann** floret, ibique per septem annos litteris operam navavi. Testimonio maturitatis munitus autumno anni MDCCCXXXII ab Ill. **Laymann**, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus scholas quae ibi habebantur de rebus philosophicis, frequentavi hasce: Ill. **Esser** de logice, Ill. **Roling** de physice et astrognosia, Beat. **Bodde** et Cel. **Schmedding** de chemia experimentali, Ill. **Schlueter** de psychologia, Cel. **Becks** de zoologia et botanice. Deinde adii institutum medico-chirurgicum, t. t. directore Beat. **Bodde** florens et audivi de anatomia generali, osteologia et syndesmologia Cel. **Tourtual** et Cel. **Riefenstahl**. Autumno anni MDCCCXXXIII universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam petii, ibique ab Ill. **Brandis**, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos, ab Ill. **Mayer**, t. t. decano spectabili, inter medicinae studiosos receptus, per annos duos et semestre hisce lectionibus interfui: Ill. **Naumann** de encyclopaedia et methodologia artis medicae, Ill. **Mayer** et Ill. **Weber** de anatomia generali, speciali et comparata, quos quoque duces habui in arte cadavera secandi, Cel. **Windischmann** de physiologia, Ill. **Naumann** de pathologia generali, Ill. **Albers** de materia medica et morbis syphiliticis, Ill. **Wutzer** de oculorum morbis, de anatomia chirurgica et de morbis chirurgicis, de therapia ge-

nerali et speciali, de cerebri physiologia et pathologia. Ill. Nasse, qui in clinico propaedeutico mihi dux fuit, Ill. Kilian de arte obstetricia et morbis mulierum. Clinico chirurgico et ophthalmiatrico duce Ill. Wutzer, aeque ac clinico obstetricio duce Ill. Kilian per semestre auscultando, clinico medico duce Ill. Nasse per semestre practicando interfui.

Bonna relicta ineunte Majo a. MDCCCXXXVI Berolinum me contuli, et ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico inter cives academicos receptus, a facultatis medicae decano spectabili Ill. Mueller in facultatis album relatus sum. Ab eo inde tempore in institutis clinicis medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Cel. Barez et Ill. Juengken ducibus gavisus sum.

Praeterea per annum sub auspiciis doctissimi Grofsheim chirurgi militaris munus voluntarius obii.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias ago maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In inflammatione vita est diminuta.
2. Impulsum cordis cum magnitudine organi conferre non licet.
3. Torsio ligaturae arteriarum est praeferenda.
4. Circulatio sanguinis in vasis capillaribus a solo corde pendet.
5. Vermes intestinales morbum non constituunt.